



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

**Parisiis, 1644**

XXXVIII. Epistola Episcoporum Phoeniciæ Secundæ Ad Leonem Imperatorem. Dei amantissimo & piissimo, atque Christianissimo domino totius orbis terrarum, & a Deo decenter honorato imperatori Leoni, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14887**

Dorotheus episcopus Tyri. Incolume pium vestrum & Christianum imperium, pro beneficio & pace cunctarum ecclesiarum, sancta Trinitas custodire dignetur, piissime & Christo amabilis imperator.

Eustathius episcopus Beryti, similiter.

Megas episcopus Sidonis, similiter.

Theodorus episcopus Tripolis, similiter.

Heraclitus episcopus Arcesi, similiter.

Nonnus episcopus Orthosiadis, similiter.

Atticus episcopus Aradiæ Constantiæ, similiter.

XXXVIII.

EPISTOLA

EPISCOPORVM PHOENICIÆ

SECUNDÆ AD LEONEM IMPERATOREM.

*Dei amantissimo & piissimo, atque Christianissimo domino totius orbis terrarum, & a Deo decenter honorato imperatori Leoni, Ioannes, Veranius, Petrus, Ioannes, Ioannes, Thomas, Dada, Eusebius, Theodorus, Abrahamius, Petrus & Eustathius, episcopi Phœniciæ secundæ Libanisiæ.*

PROL. 21.

**V**ERE cor regis in manu Dei, & cor Dei in consilio regis. Propterea qui ab eo imperii retinacula sunt fortiti, nunquam decipiuntur, subiectos autem magna sollicitudine gubernantes. Dei enim cor habent, vnde possident donum sapientiæ atque solatii, vnde meruerint coronari. Ex illa siquidem manu, rerum domine, adeptus sapientiam, habes immobilem atque robustam in te fidei rectæ crepidinem. Igitur consulere nos vestra serenitas pia sanctione dignata est, de immaculata fide quæ in nobis est, quam videamur habere voluntatem. Hoc enim nos docent apostolicæ sanctiones, quod a patribus sanctis caute percipimus, tam ab his qui in Nicæa per sanctum Spiritum congregati sunt, & quæ sunt sancti Spiritus ibi sanxerunt, quam a centum quinquaginta patribus, qui cum eo Spiritu inimicis eiusdem Spiritus corde pacifico resisterunt. Nec non & de beatis patribus Calchedone collectis, qui superiora quidem Concilia multitudine transcenderunt, nihil autem horum quæ ab illis recte probata sunt, reliquerunt, quod non competenter insinuauerint. Si enim ea quæ a patribus Calchedone congregatis sancita



ANNO  
CHRISTI  
451.

cita sunt, infirma iudicauerimus; & ea quæ in Nicæa decreta sunt, sine dubitatione destruimus. Horum namque illa non peremptio, sed robur existunt. Si autem ea quæ in Nicæa constituta sunt, vel vsque ad vnum sermonem refutare voluerimus, & apostolorum sanctiones laxasse videbimur. Vbi enim fundamentum rectæ & immobilis fidei posuerunt sapientissimi architecti, illic prædictorum patrum sanctiones ædificata sunt. Qua gratia nostras animas non negamus, neque sanctos patres, aut quæ ab eis noscuntur esse sancita. De sancto quidem Calchedonensi Concilio, & quæ illic pie definita sunt, hanc nos habemus cum vestra pietate sententiam. De impia vero tyrannide Timothei Ægyptii, qua vsus est, sacerdos equidem factus non est, sed potius ecclesiæ adulter apparuit. Quid dicam, qui eam quam Saluator proprio sanguine liberavit, ille pontificali sanguine voluit adipisci, & factus est non pastor ouium Christi, sed importabilis lupo; non pater, sed parricida; non sponsus, sed thalami violator? Hæc enim omnia continentur in precibus tranquillitati vestræ porrectis: quas relegentes, amare fleuimus. Quomodo enim ingemiscere non poteramus, audientes hæc in Canonum subuersionem fuisse commissa, & per mutationem ecclesiasticarum sanctionum, & disciplinæ digressionem, sacerdotum necem, sacrorum (quantum ad præsumptiones attinet) pollutionem? Nam licet sacra omni violatione sint libera, verumtamen audacium nisus, eorumque conscientia violata est, secundum Apostoli dictum. Hæc itaque de illius præsumptione proferimus, quoniam non est fas, vt vestræ fidei tranquillitas hunc dignum debeat iudicare. Qui enim rebus diuinis illudit, magis autem tyrannidem\* ei intulit, quique eiusmodi malis semina ministravit quidem, monstravit etiam posteris causas scandalis plenas, & suæ malitiæ imitatores effecit, nequaquam nos vocamus sacerdotem, aut suis criminibus innoxium esse decernimus. Nos itaque ex his quæ agnouimus, omni venia hunc virum exuimus: vestra Christianissima maiestas de ciuitatis illius emendatione deliberet. quidquid enim vultis, mansuetissimi domini, adimplere poteritis. Pio namque principi nihil impossibile, quod non possit modo pietatis adimplere.

Concil. Tom. 9.

R r



Dominus enim vniuersorum gubernat imperium, & ipse auctoritate sua imperavit fluctuanti mari vt quiescat, & tam vobis mundi rectoribus, quam eis qui reguntur a vobis, suo imperio tranquillitatis pignora condonauit.

Ioannes episcopus, incolumem vestram pietatē multis annorum curriculis custodiri ecclesiis Dei & Romano deprecamur imperio, venerabilis & piissime atque Christianissime imperator.

Vranus episcopus Emesæ, similiter.

Petrus episcopus Heliopolis, similiter.

Ioannes episcopus Abilæ, similiter.

Ioannes episcopus Almirensis, similiter.

Thomas episcopus Euariæ, similiter.

Dadas episcopus Comoarenus, similiter.

Eusebius episcopus Abydenus, similiter.

Theodorus episcopus Castridanabeni, similiter.

Abrahamius episcopus Coradensis, similiter.

Eustathius episcopus Saracenorum, similiter.

## XXXIX.

EPISTOLA EPISCOPORVM  
PROVINCIAE ISAVRIÆ

AD LEONEM IMPERATOREM.

*Piissimo & Christianissimo imperatori nostro Augusto, & a Deo competenter honorato principi Leoni, episcopi Isauriæ provinciae, Basilius, Ioannes, Iulianus, Nunechius, Epiphanius, Ammonius, Paulus, Conon, Euphronius, Sabbatius, Athanasius, Hermophilus, Iulianus, Theon, Dacianus, Paulus, Orention.*

QVEM alterum decebat imperatorem talia pro talibus præcipere, & scribere nobis subiectis, & leges pro rebus diuinis ponere sacerdotibus æquo iudicio Puras, præter vestram solummodo pietatem, quam ipse proprie Deus elegit, & ex totius mundi potentia coronauit, & supra reipublicæ retinacula constituit, violentia tempestatis nullatenus imminente? Quapropter bonam retributionem, \* quæ prospicitis, Christo referre desideratis. Abel sacrificiorum puritatem fecistis: \* in quo enim æquale est sacrificium cum veritate fidei & amicitia pacis. Zelatus es actibus tuis, tranquillissime imperator, Constantinum illum memoriæ immortalem, maximum, pium, amatorem Christi, & indubitanter apud omnes bea-

Genes. 4.

ANNO  
CHRISTI  
431.ANNO  
CHRISTI  
431.\* f. de  
misticas,  
est quid  
finit.\* f. cui  
libus